

luta. Quare absurdia, quae deducit, nullo modo sequentur. Sed haec forte contra alios quam contra Platonem dicta sunt, non enim Plato ullo in loco boni et bene esse mentionem ullam facit.

- Capite 8. habet:⁷⁶ *Clarum itaque quod idearum causa (sicut solent quidam dicere ideae) si sunt aliqua praeter singularia et ad generationes et substantias nihil utilia, totum falsum est.* Sunt enim necessariae ea progressionem, quam docuimus. Non enim gigneretur forma hominis in materia, nisi praeexisteret ea forma in semine, in calore, in spiritu, in natura, in anima, in anima universalis, in mente opifice. Falsum itaque est eas non esse utiles, cum sint necessariae, neque illud verum est, quod sequitur:⁷⁷ *Clarum quod nihil opus est, ut exemplar, ideam constituere.* Quia nisi hominis exemplar vel forma vel ratio in quibus diximus non praeexisteret, homo numquam fieret.
- Quod etiam capite 13. scribit:⁷⁸ *Omnino vero accedit, si est substantia homo et quaecumque ita dicuntur, nihil eorum, quae in ratione esse nullius substantiam, neque seorsum existere ipsorum neque in alio.* Ait, ut ego quidem interpretari possum. Si ideae sunt nec genus nec differentia nec species, quae in definitione assumuntur, erunt substantiae. Cur id? Rationem nullam assignat nec assignare potest, quae enim est consequentia haec? Ideae sunt, ergo species substantia non est? Deinde verum est.⁷⁹ *Quod nullum universaliter existentium substantia est,* [335] si pro existentium, ὑπαρχόντων, σημανομένων vel λεγομένων, significatorum vel dictorum, intelligatur, ut sunt universalia haec nostrata collecta ex singulari- bus, quae aut nihil, aut posteriora sunt, quod si ὑπαρχόντων,

⁷⁶ φανερὸν ἄρα [ἄρ'] ὅτι ἡ τῶν εἰδῶν αἵτια, (ώς εἰώθασί τινες λέγειν τὰ εἴδη) εἰ ἔστιν ἄττα παρὰ τὰ καθ' ἔκαστα [καθέκαστα], πρός τε τὰς γενέσεις καὶ οὐσίας οὐδὲν χρησίμη [χρήσιμα]. [ARIST. Metaph. 1033b.26 – 28]

⁷⁷ φανερὸν ὅτι οὐδὲν δεῖ ως παράδειγμα εἶδος κατασκευάζειν. [ARIST. Metaph. 1034a.2 – 3]

⁷⁸ ὅλως δὲ συμβαίνει, εἰ ἔστιν οὐσία ὁ ἀνθρωπος καὶ δσα οὔτω λέγεται, μηδὲν τῶν ἐν τῷ λόγῳ εἶναι μηδενὸς οὐσίαν μηδὲ [μήτε] χωρὶς ὑπάρχειν αὐτῶν μηδ' [μήτε] ἐν ἄλλῳ. [ARIST. Metaph. 1038b.30 – 33]

⁷⁹ ὅτι οὐδὲν τῶν καθόλου ὑπαρχόντων οὐσία ἔστι. [ARIST. Metaph. 1038b.35 takoder: ARIST. Metaph. 1040b.26]